



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 40. Farnesii relictis Gallorum partibus Philippo Regi adhærentes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

§. XL.

Sæcul. XVI.

A.C. 1555.

*Farnesii relictis Gallorum partibus*  
*Philippo Regi adhærentes.*

Sub idem tempus Farnesii Principes de  
 Summo Pontifice parum contenti in  
 Cæsarlis, Regisque Philippi gratiam re-  
 diere; quamvis enim Papa Farnesiis  
 obtenti Pontificatus honorem in acce-  
 ptis referre teneretur, gratum tamen Pallav. c. 20.  
n. 10. & 12:  
Thuan. l. 17.  
Belcar.com.  
 eis animum exhibere negligebat; a-  
 liunde vero hi Principes Caraffarum, qui l 27. n. 33.  
 pro summo imperio rem gerere ambie-  
 bant, arrogantiam, ac dominatum æ-  
 gre ferebant, ac contra Galliarum Re-  
 gem vehementer querebantur, eoquod  
 is in födere cum Hispanis inito, cuius  
 supra meminimus, Farnesiis Beneficio-  
 rum redditus ab Hispanis usurpatos re-  
 stitui non curasset. His rationibus per-  
 moti factas a Philippo Rege pacis pro-  
 positiones acceptare decreverunt, unde  
 Octavius Farnesius Dux opera Cos-  
 mæ Medicæi, & Guilielmi Corregii rur-  
 sus Placentiam, & Novarram, necnon  
 Parmensis ditionis arces a Cæsareis oc-  
 cupatas recuperabat, adjectis tamen hi-  
 sce conditionibus I. Octavius Cæsarlis  
 Gener pro Placentiæ arcibus præsidium  
 Hispanorum accipere, & illud stipendio  
 suo alere teneatur. II. Maneant Impe-  
 rio, & Romanæ Sedi salvæ rationes,

D d 3                    quas

**Sæcul. XVI.**

A.C. 1556.

quas in Parmensi ditione habent. III. Novarræ arx in Philippi Regis potestate sit. IV. Bona, quæ Octavius, & Margarita naturalis Caroli V. filia in regno Neapolitano, & in Etruria, necnon Alexander Cardinalis Octavii frater in Sicilia habet, eis restituantur : de fructibus tamen a Camera Cæsarea perceptis litem instituere non possint. IV. Conjuratorum, qui jam decefferunt, filii in bonorum suorum possessione non turbentur, sed iis libere utantur, fruanturque V. in Conjuratorum, qui supersunt, caufsa nihil intra sex menses innovetur: VI. Interim liceat illis, quibus velint personis, bona sua vendere, & oppignorare VII. Octavius in fidem Sansecundi Comitem, & Joannem Franciscum Sanseverinum recipiat, quos Cæesaris nomine commendatos habeat, si vero iidem deinceps fidem datam violent, in eos animadvertendi ipsi jus sit. VIII. Therella, Rupes-alba, & Turricellæ mœnibus nudentur. IX. S. Antonini municipium, uti a Cæsare munitum est, in Octavii manus confignetur. X. Eo tempore, quo Placentiæ possessio tradetur, Alexander major natu Octavii, & Margaritæ frater tanquam obses Mediolani maneat, & inde ad Regem Philippum transeat, atque in ejus aula commo-  
retur.

Hæc



Hæc pacta maximum momentum Sæcul. XVI.  
 Philippi Regis, ac Florentiæ Ducis rebus in Italia attulerant; hac enim ratione Mediolanensis ditio valide firmata, Gallisque interclusus erat aditus, ne hi in Etruriam terrestri itinere deinceps facile irruere possent. Evidem Papa, & Galliarum Rex huic foederi parum adversari ab initio videbantur, spe freti, Farnesios eorum partibus addictos Castrensem Ducatum nequaquam infestis armis invasuros, ipsumque Cardinalem S. Angeli, tanquam obsidem Romæ permansum, eo potissimum nomine, quod hic se nunquam foederi in Summi Pontificatus dispendum cudendo nomen daturum spoondisset. Verum temporis progressu Farnesii tam arcto amicitiae vinculo Hispanis adstringebantur, ut Ferrariæ Duci, qui ex Italiæ Principibus adhuc solus Papæ, & Galliarum Regi junctus erat, bellum nuntiarent, iniquissimo prorsus tempore, eoquod Pontifex sollicitationibus incassum iteratis, decretoque sine re Commendono Venetos ad suum foedus allicere haud posset, cum illi neutri parti adhærere decrevissent, ac frustra exhibitis omnibus precibus nequaquam a suo proposito discederent.